

1601 præfectorum atque militum stipendia curat . Julius Ghirardi ad Helvetios designatus , statim contendere Bergomum jussus : duodecim aveorum millia numerata .

Varia interim de Insubrum apparatus incrementis dissipabantur ; ac licet Hispanos Italianam pacatam cupere , exercitumque partim in Belgium partim in Croatiam missuros plerique arbitrarentur ; non tamen deerant , qui tantum copiarum non frustra neque oscitanter cogi putarent . Quidam ad Genevam invadendam comparari , quo & Pontificis & Sabaudi voluntati satisfacerent . Verum id non ita facile factu erat , quod civitas Henrici Galliarum Regis tutela conquiesceret , nihilque ei adversum , nisi irritatis Gallorum armis , tentari posset . Erant qui dicerent , ad ingentem Hispaniarum Regis potentiam Italica Principibus ostentandam , tantum virium colligi , alte jam Hispanæ genti insidentibus animo , quæ non nulli Italiae Principes ad eorum spiritus , principatus fastigium anhelantes , coercendos egissent . Non inaniter alii , sed mature , Carolo cum Henrico conciliato , in suarum ditionum penetralibus tantas cogere copias Hispanos censebant : quæ ad Galliæ regnum prope lapsum fulciendum Veneti egissent , memorabant ; Xystum V. Pontificem Maximum , qui , Henrico III. ob Cardinalis Guisii cædem anathemate percusso , Henrico IIII. e fidelium cœtu summoto , per amplum Hispanis ex civilibus dissensionibus aditum in Galliam aperuerat , ad salubriora consilia revocatum ; Henricum , cunctis silentibus , Galliæ Regem a Senatu primo salutatum narrabant : obversabantur animis a Ferdinando Magno Heturriæ Duce subsidia in Galliam missa , Mariæ neptis , Francisci fratri filiæ , cum Henrico nuptiæ . Clementem ac Petrum Aldobrandinum , nepotem , a bello in Heturiam movendo minime alienos fore rumor erat , exulcerato amborum in Mediceos animo , quod in Florentiæ turbinibus Silvestro Aldobrandino , Clementis patri , mors illata fuisset : in Pontificisque animo vetus in libertatem adscendæ urbis , ac in reipublicæ formam redigendæ , suique pontificatus insignem memoriam posteris relinquendi consilium jamdiu coqui videbatur .

At in finitimis Reipublicæ locis frequentes militum delectus ,
jumen-